

# Q. SEPTIMII FLOREN

TIS TERTULLIANI, AD  
MARTYRES, LIBER.



**I**NTER carnis alimenta benedicti martyres designati, quæ uobis & domina mater ecclesia de uberibus suis, & singula fratres de operibus suis proprijs in carcerem subministrant, capite aliquid & à nobis quod faciat ad spiritum quoque educandum. Carnem enim saginari, & spiritum esurire non prodest. Imò si quod infirmum est, curatur: æque quod infirmius est, negligi non debet. Nec tantus ego sum, ut uos alloquar, uerò tamen & gladiatores perfectissimos non tantum magistri & præpositi sui, sed etiam idiotæ & superuacue quiq; adhortantur de longinquo, ut sæpe de ipso populo dictata suggesta profuerint. In primis ergo benedicti nolite contristare spiritum sanctum, qui uobiscum introiit carcerem. Si enim non uobiscum nunc introisset, nec uos illic hodie fuissetis. Et ideo date operam, ut illic uobiscum perseueret: ita uos inde perducat ad dominum. Domus quidem diaboli est & carcer, in qua familiam suam continet. Sed uos ideo in carcerem peruenistis, ut illum etiam in domo sua conculcetis. Iam enim foris congressi conculcaueratis. Non ergo dicat: In meo sunt, tentabo illos uilibus inedijs, defectionibus, aut inter se dissensionibus. Fugiat conspectum uestrum, & in ima sua delitescat, contractus, & torpens, tanquam coluber excantatus aut effumigatus. Nec illi tam bene sit in suo regno, ut uos committat: sed inueniat munitos, & concordia armatos: quia pax uestra bellum est illi. Quam pacem quidam in Ecclesia non habentes, à martyribus in carcere exorare consueuerunt. Et ideo eam etiam propterea in uobis habere & fouere & custodire debetis: ut si forte & alijs præstare possitis. Cætera æque animi impedimenta usque ad limen carceris deduxerint uos, quousque & parentes uestri. Exinde segregati estis ab ipso mundo, quanto magis à seculo rebusque eius. Nec hoc uos consternet, quod segregati estis à mundo. Si enim recogitemus ipsum magis mundum carcerem esse, exisse nos è carcere, quam in carcere introisse intellegemus. Maiores tenebras habet mundus, quæ hominum præcordia excæcant. Grauiiores catenas imbuit mundus, quæ ipsas animas hominum constringunt. Peiores immundicias expirat mundus, libidines hominum. Plures postremo mundus reos continet, scilicet uniuersum hominum genus. Iudicia denique non Proconsulis, sed dei sustinet. Quo uos benedicti de carcere in custodiarium si forte translatos existimetis. Habet tenebras, sed lumen estis ipsi: habet uincula, sed uos soluti deo estis. Triste illic expirat, sed uos odor estis suauitatis. Iudex expectatur

Parentes deducebant martyres usque ad limen carceris.

MVN  
DVS

CAR  
CER